



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Tractatvs Vigessimvs. De forma Eucharistiæ, seu de verbis Consecrationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

educatur ex potentia subiecti, hoc est substantiæ panis, & vini, & actio, qua conseruatur post consecrationem, est creatiua, qua nimirum conseruatur, ita vt non educatur ex potentia vllius subiecti; ergo &c.

14. Inferitur secundo quantitatem, cum existat ad modum substantiæ, euadere vice-substantiam, & esse principium quod actionum, quæ procedunt immediatè ab accidentibus Eucharisticis, proportionaliter, ac earum actionum principium quod esset substantia panis, & vini, si remaneret sub accidentibus. Euidet etiam quantitas per talem modum per se existendi principium passiuum, ex quo educantur actiones, & alterationes, quibus alterantur accidentia eucharistica. Cum autem accidentia eucharistica ita alterantur, vt sub ijs non conseruaretur substantia panis, & vini, sed corrumpeteretur per generationem vermis ex. gr. Christus desinit esse sub illis accidentibus, ac Deo sub iisdem reponente materiam primam, ex ipsa educitur, ac generatur forma substantialis vermis. Est enim regula generalis, quod Christus tamdiu remanet sub accidentibus, quamdiu sub ipsis remaneret substantia panis, & vini. Videri possunt S. Thomas quæst. 77. artic. 5. Suarius disp. 57. & Vasquez disp. 196.

15. Ad 1. Concilia nomine specierum intelligunt ea, quæ franguntur, mouentur, sentiuntur &c. sed hæc sunt accidentia realia panis, & vini, non autem accidentia intentionalia; ergo concilia nomine specierum intelligunt accidentia realia panis, & vini.

16. Ad 2. de essentia accidentis non est, vt actu inhæreat subiecto, sed vt exigat inhæretere subiecto, sicut de essentia hominis est solum, vt exigat discurrere, non vt discurrat actu; sed accidentia eucharistica exigunt inhæretere subiecto, licet diuina virtute actu non inhæreant subiecto; ergo retinent essentiam accidentis.

TRACTATUS XX.

De forma Eucharistiæ, seu de verbis consecrationis.

QVAESTIO CXLVIII.

Virum Christus consecraverit eucharistiam iisdem verbis, quibus sacerdotes in Ecclesia consecrant?

1. Videtur Christus prius consecrasset, deinde dixisse, *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus*, ac proinde non consecrasset istis verbis, *hoc est corpus meum* &c. primò, quia vt Christus verè diceret, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*, id, quod designa-

bat, debebat iam esse corpus & sanguis Christi; ergo antequam Christus diceret, *hoc est corpus* &c. panis, & vinum, alia consecratione debebant esse conuersa in corpus & sanguinem Christi.

2. Secundo, vt colligitur ex Matthæi 26. Marci 24. & Lucæ 22. Christus prius benedixit panem, deinde dixit, *hoc est corpus meum*; sed illa benedictione consecrauit; ergo &c.

3. Tertio Marci 14. dicitur, & *accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes*; & ait illis, *hic est sanguis meus*; ergo prius consecrauit, deditque calicem consecratum discipulis, illique biberunt, deinde dixit, *hic est sanguis meus*.

4. Respondeo S. Thomam 3. p. quæst. 78. art. 1. ad 1. referre tres sententias. Prima Innocentij 3. libro 4. de myst. miss. cap. 6. probabiliter docet, Christum nullis verbis consecrasset, sed vsum suprema potestate, quam habebat, consecrasset sola voluntate, vel solo tactu, vel alio signo, prout voluit. Hanc opinionem secuti sunt plures authores, quos referunt Suarius disp. 58. sect. 1. & Vasquez disp. 187. cap. 1. eamque defendit Catherinus tractatu de hac re, in quo docet Christum consecrauisse benedictione, deinde dixisse *accipite, & comedite, hoc est corpus meum*, quæ verba putat non potuisse verificari, nisi antequam proferrentur, id, quod designabatur, esset corpus Christi.

Secunda sententia docet Christum consecrasset aliquibus verbis, sed non illis, quibus dixit, *hoc est corpus meum*, sed aliis, quæ protulit antè, & ab Euangelistis non sunt relata, ideoque à nobis ignorantur.

5. Tertia sententia docet Christum consecrasset verbis, quibus nunc vtimur ad consecrandum, sed illa bis protulisse, primò secretò, & tunc consecrasset, secundo publicè, cum post consecrationem dixit: *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum*. Præcipuum fundamentum harum sententiarum est, quod alatum fuit in primo argumento.

6. Contrà has opiniones dicendum cum omnibus ferè Theologis, quorum aliqui existimant relatas opiniones post Tridentinum non carere nota temeritatis: Christus consecrauit iisdem verbis semel tantum prolatis, quibus sacerdotes in Ecclesia consecrant.

7. Probatur primò. Nam Tridentinum sess. 13. cap. 1. dicit: *Maiores nostri &c. apertissime professi sunt hoc tam admirabile sacramentum in vltima eana Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vniueque benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, & suum sanguinem, differens & perspicuis, verbis testatus est*; sed Christus eucharistiam instituit consecratione, qua panem & vinum coquertit in corpus, & sanguinem suum; ergo Christus consecrauit, non benedictione, sed verbis, quibus testatus est id, quod discipulis præbebat, esse corpus & sanguinem suum, dicens: *hoc est corpus meum*; *hic est sanguis meus*.

8. Probatur secundò ex Patribus. Tertulianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. dicit: *Acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum fecit, hoc est corpus meum, dicendo.* Auctor sermonis de Cæna Domini apud Cyprianum, relatis verbis illis, *Hoc est corpus meum, dicit; Ante verba illa, cibus ille communis nutriendo tantum corpori commodus erat; ergo censeret panem mutatum fuisse in corpus per illa verba, Hoc est corpus meum.* Chrysostomus hom. 60. ad Populum Anthiochenum docet Christum cum dixit, *Hoc est corpus meum, verbum factò confirmasse.* Paschasius in epist. ad Tredegardum dicit: *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis verbi sui secreta potestate convertit, ita dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.*

9. Ad 1. distingo antecedens: Vt Christus verè diceret, hoc est corpus meum, id, quod designabat, debebat iam esse corpus Christi, si *ly iam* significet antè prolationem verborum, nego: debebat iam, hoc est in ultimo instanti sufficientis prolationis verborum esse corpus Christi, concedo; & nego consequentiam. Vt verba illa essent vera, sufficiebat, vt in ultimo instanti sufficientis prolationis, dependenter à verbis, sub speciebus poneretur, & primo esset corpus Christi. Verba enim illa sunt vera practicè, & efficiunt id, quod significant. Confirmatur. Nam Rex potest aliquem creare ducem exercitus per hæc verba, *tu es dux exercitus;* sed tunc verba illa sunt vera practicè per hoc, quod ille in primo instanti prolationis constituatur, & primò sit dux exercitus; ergo à pari.

10. Ad 2. Concedo maiorem, & nego minorem, ac dico Christum illa benedictione non consecrasset, sed panem, ac vinum ad consecrationem præparasse, sicut de factò sacerdotes prius benedicunt panem, & vinum, deinde consecrant:

11. Ad 3. respondeo, quod Marcus per anticipationem narrat prius quod factum est posterius, vt sæpè faciunt Evangelistæ, teste Augustino lib. 3. de consensu Evangelistarum, cap. 1. Quod autem Marcus vsus fuerit anticipatione, probatur ex narratione aliorum Evangelistarum.

QVÆSTIO CXLIX.

Utum forma essentialis, & sufficiens consecrationis sint illa verba: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.

S. Th. 2. 2. q. 78. art. 3. 2. 3.

1. Videtur ad Eucharistiam non sufficere verba illa, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,* sed requiri aliquam orationem, qua sacerdos petat à Deo, vt panis & vinum conuertantur in corpus, & sanguinem Christi, vt docuerunt aliqui recentiores Græci, ac præ-

sertim Marcus Ephesius lib. de verbis consecrationis, Cabasilas in explicatione liturgiæ, quæ est 4. vel 6. tomo Bibliothecæ Patrum, & vt insinuat Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura confessionis Augustinæ, cap. 10. primò quia in liturgiis Augustinæ quæ habetur lib. 8. constitutionum, cap. 13. vel 17. sancti Iacobi, sancti Basilij, & sancti Ioannis Chrysostomi quæ habentur tom. 4. vel 5. Bibliothecæ Patrum, sacerdos, postquam protulit verba consecrationis, dicit orationem, qua videtur postulare, vt panis mutetur in corpus, & vinum in sanguinem Christi; sed hoc non postulet, si iam facta esset mutatio; ergo &c.

2. Secundò plures Patres dicunt eucharistiam confici precibus sacerdotis; ergo præter illa verba *hoc est corpus meum,* requiruntur aliquæ preces.

3. Tertio in liturgia Basilij post verba *hoc est corpus meum,* panis, & vinum vocantur antitypa, hoc est imagines, & figuræ corporis & sanguinis Christi; sed post consecrationem Eucharistia non est imago, & figura, sed est ipsum corpus, & ipse sanguis Christi; ergo &c.

4. Quarto videntur ad validè consecrandum non sufficere illa verba *hoc est corpus meum,* sed sequiri verba præcedentia, *qui pridè, quando paretur &c.* licet non sint de essentia forme, vt docuerunt Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. & quidam alij. Si enim omittis verba præcedentibus, sacerdos solum dicat, *hoc est corpus meum,* non significat illud esse corpus Christi, sed corpus sacerdotis; sed ad validè consecrandum requiritur, ut sacerdos significet id, quod designat, esse corpus Christi; ergo &c.

5. Quintò videntur ad validè consecrandum esse necessaria etiam verba consequentia, quibus Ecclesia Romana vtitur, *novi & æterni testamenti &c.* vt docuerunt Palud. in 4. dist. 8. quæst. 3. art. 2. Capreolus eadem dist. quæst. 1. art. 11. concl. 6. Petrus Sotus lib. de eucharistia, & alij. In Missali enim notantur litteris maiusculis, sicut præcedentia; ergo significatur illa esse de essentia consecrationis, sicut præcedentia.

6. Sextò Pius V. iussit in editione Romane expungi partem illam commentarii Carotani, in qua dicebat verba illa *novi, & æterni testamenti* non esse essentialia.

7. Septimò licet in baptismo hæc verba *ego te baptizo* sufficienter significant internam spiritualem hominis abluitionem, tamen non sufficienter ad valorem baptismi, sed debent addi inuocatio Trinitatis; ergo licet verba *hoc est sanguis meus* sufficienter significant consecrationem materiæ, tamen non sufficienter ad consecrationem, sed addenda est expressio consecrationis sanguinis Christi.

8. Respondeo circa formam, qua conficitur eucharistia, plures fuisse errores recentiorum hæreticorum. Primò enim, vt refert Bellarminus, lib. 4. de Eucharistia, & ex eo Valerius

disp. 197. cap. 1. & Suarius disp. 58. sect. 3. Bucerus in cap. 36. Matthæi docuit ad conficiendam Eucharistiam non requiri ulla verba, sed sufficere, vt ex Christi præcepto panis frangatur, & manducetur. Secundo plerique hæretici recentiores docent requiri verba, non quidem significantia consecrationem materiam, sed conacionalia ad instructionem populi, sed non conueniunt in determinando, quænam verba sint adhibenda. Caluinus lib. 4. institutionum, cap. 17. §. 39. docet legendum esse caput 11. primæ ad Corinth. Alij dixerunt legendum esse caput 6. Ioannis. Anabaptistæ consecrabant his verbis, *accipe, ede, memento Domini*: alij utebantur his verbis, *hic est panis meus*: alij dicebant solum, *accipite & comedite*; hoc facite in mei commemorationem. Ex antiquioribus hæreticis pau peres de Lugduno, recitata oratione Dôminica, & quibusdam aliis orationibus, populum benedicebant, vt testatur Guido Carmelita de hæresibus, cap. 9. & Plateolus verbo *pauperes de Lugduno*, num. 12.

9. Contrà hos errores omnes Theologi cum Magistro in 4. sententiarum, & omnes Canonistæ cum Gratiano de consecratione dist. 2. & in caput *cum Martha* de celebratione Missarum, & vniuersim omnes Catholici docent formam consecrationis esse illa verba *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, vt colligitur etiam ex Florentino in instructione Armenorum.

Probatur primò. Nam Lucæ 22. Christus dixit Apostolis, *hoc facite in mei commemorationem*; ergo dedit illis potestatem faciendi eucharistiam, eo pacto, quo ipse fecerat; sed ipse Christus fecit eucharistiam, dicens, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; ergo sacerdotes illdem verbis eucharistiam conficiunt.

10. Probatur secundò ex Patribus, qui videri possunt apud Bellarminum lib. 4. de Eucharistia, cap. 13. & apud Suarium disp. 58. cap. 7.

Pôsito, quod ad Eucharistiam conficiendam requirantur hæc verba, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, quaeritur, vtrum hæc verba sufficiant, an ad valorem consecrationis panis addenda sit aliqua oratio, vt docent recentiores Græci relati in primo argumento, vel addenda sint verba antecedentia, *qui pridie &c.* vt docuit Scotus relatus in 4. argumento & ad validè consecrandum vinum addenda sint verba subsequencia, *noui & æterni testamenti &c.* vt docuerunt Paludanus, & alij relati in quinto argumento.

11. Dicendum primò contra Græcos relatos in primo argumento: ad consecrandam eucharistiam non requiritur ulla oratio, sed sufficiunt verba, quibus dicitur, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Conclusio est de fide.

12. Probatur primò. Nam vt fatentur ipsi Græci, Christus instituit Eucharistiam verbis, quibus dixit, *hoc est corpus meum* sine ulla præce, vel oratione: sed dedit potestatem Apostolis, & sacerdotibus faciendi eucharistiam eo modo, quo ipse fecerat, dicens,

Hoc facite in rei commemorationem; ergo etiam sacerdotes efficiunt eucharistiam verbis, quibus dicunt, *hoc est corpus meum*, nec indigent alia præce, & oratione.

13. Probatur secundò: nam ipsi Græci, postquam protulerunt verba, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus &c.* eucharistiam proponunt populo adorandam; sed non proponerent populo adorandam, nisi ex antiqua fide maiorum credidissent statim panem, & vinum antè vllam orationem additam conuerti in corpus, & sanguinem Christi; ergo &c. Confirmatur. Nam in Lithurgia Æthiopum, quæ habetur tomò 4. aut 6. Bibliothecæ Patrum, prolatis illis verbis, *hoc est corpus meum*, populus statim respondet *Amen, Amen, credimus, & confidimus, & adoramus te Deus noster, hoc verè corpus tuum est*; ergo credunt statim antè vllam Dôminionem superadditam panem conuerti in corpus Christi.

14. Probatur tertio: nam Tridentinum sess. 13. cap. 4. docet transubstantiationem colligi ex veritate verborum, quibus sacerdos nomine Christi dicit, *Hoc est corpus meum*; sed nisi statim panis conuerteretur in corpus Christi, hæc verba essent falsa; ergo &c.

15. Probatur quarto ex Patribus tum Græcis, tum latinis, quorum testimonia refert Bellarminus lib. 4. de eucharistia, cap. 13. & Vasquez disp. 197. cap. 3.

16. Dicendum secundò cum S. Thoma 3. p. quæst. 78. art. 1. Alexandro, Durando, aliisque communiter, quos sequuntur Vasquez disp. 198. cap. 1. Cardinalis de Lugo disp. 11. sect. 3. & alij: forma essentialis consecrationis panis sunt solàm illa verba, *hoc est corpus meum* ac verba, præcedentia *qui pridie &c.* non solùm non sunt de essentia formæ, sed neque sunt necessaria ad valorem consecrationis.

17. Probatur, & simul soluitur fundamentum Scoti. Eatenus enim verba præcedentia *qui pridie &c.* essent necessaria ad validè consecrandum, quatenus si illis ômissis, sacerdos dicat *hoc est corpus meum*; significat potius id, quod designat, esse corpus sacerdotis, quam esse corpus Christi; sed ômissis verbis præcedentibus, sacerdos per hoc, quod habeat intentionem verba illa proferendi in persona Christi, significat sufficienter id, quod designat, esse corpus Christi; ergo &c.

18. Probatur secundò ex Durando in 4. dist. 8. quæst. 2. Nam verba consecrationis per verba præcedentia determinantur solùm ad significandum id, quod Christus designabat, fuisse corpus Christi, non autem id, quod sacerdos habet in manibus, ac designat, esse corpus Christi; ergo si verba consecrationis deberent solùm determinari per verba præcedentia, non consecraretur panis, quem sacerdos habet in manibus, ac designat; ergo ipse Seorus debet fateri, quod cum consecratur panis, quem sacerdos habet in manibus verba consecrationis debent determinari per

per intentionem, qua sacerdos velit illa verba proferre in persona Christi de eo, quod habet in manibus: sed hanc intentionem sacerdos potest habere etiam omiſſis verbis præcedentibus; ergo potest validè consecrare per hæc sola verba, *hoc est corpus meum*, omiſſis verbis præcedentibus.

19. Probatur tertio. Nam verba necessaria ad significandum id, quod sacerdos designat, esse corpus Christi, sunt de essentia formæ; sed Scotus docet verba præcedentia esse necessaria ad significandum id, quod sacerdos habet in manibus, esse corpus Christi; ergo inconsequenter negat illa esse de essentia formæ.

20. Infertur ad consecrationem vini non esse necessaria verba præcedentia, *similiter & calicem &c.*

21. Dicendum tertio cum Alexandro, S. Bonaventura, Durando, Marsilio, Soto, Gabriele, & alijs, quos referunt, & sequuntur Suarez disp. 58. lect. 3. Vasquez disp. 198. cap. 3. Cardinalis de Lugo disp. 11. lect. 4. & alij communiter contra auctores relatos in 5. argumento: ad validè consecrandum vinum, sufficiunt verba, *hic est sanguis meus*, vel *hic est calix sanguinis mei*, adeoque verba consequentia nomi, & æterni testamenti non ita sunt de essentia formæ, vt sine ijs non possit validè consecrari vinum.

22. Probatur primo. Nam si omnia verba, quibus Ecclesia Romana vtitur in consecratione vini, requirerentur ad valorem consecrationis, sequeretur, quod cum S. Marcus, S. Iacobus, Græci, & Aethiopes in suis liturgijs, quæ habentur tomo 5, & 6. Bibliothecæ Patrum omittant aliqua ex his verbis, inualidè consecrarent, quod est absurdum. Porro in liturgijs Iacobi, Marci, Basilij omittuntur verba, *mysterium fidei*, in liturgia Aethiopum omittuntur verba, *noui, & æterni testamenti, mysterium fidei*.

23. Paludanus concedit Græcos inualidè consecrare. Sed est absurdissimum Græcos antè schisma temporibus S. Iacobi, Marci, Basilij, Chrysostomi &c. quibus ecclesia Græca, doctrina, & sanctitate fuit florentissima, errasse in re tanti momenti, & inualidè consecrasse, præsertim cum ecclesia Romana nunquam notauerit hunc errorem, sed eorum formas approbauerit, & in Concilio Florentino in literis vnionis admiserit eos validè consecrare. Capreolus respondet Græcos vel inualidè consecrare, vel cum ijs fuisse dispensatum. Sed contra est: nam ecclesia non potest dispensare in verbis, quæ ex Christi institutione necessaria sunt ad valorem sacramenti.

24. Probatur secundo. Nam est planè improbabile nullum Euangelistam retulisse omnia verba necessaria ad consecrandum: eo enim ipso tradidissent doctrinam valdè mutilam: sed nullus Euangelista retulit illa verba *mysterium fidei*, Paulus etiam prima ad Corin-

th. 11. illa omisit; ergo est planè improbabile illa verba *mysterium fidei* requiri ad valorem consecrationis. Confirmatur: nam quis daret, quod si Paulus consecrasset solum verbis, quæ refert se accepisse à Domino, inualidè consecrasset; sed Paulus prima ad Corin. th. 11. refert solum ea verba, *hic calix noui testamenti est in meo sanguine*; ergo ijs validè consecrasset, omiſſis alijs, hoc est *mysterium fidei*, & qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.

25. Probatur tertio. Nam ad validè consecrandum panem sufficiunt ea verba, *hoc est corpus meum*, omiſſis illis, quod pro vobis mandatur, vel pro vobis frangitur, quæ adduntur à Grego; ergo ad validè consecrandum vinum sufficiunt hæc verba, *hic est sanguis meus*, omiſſis reliquis, quæ adduntur ab ecclesia latina. Eadem enim est ratio.

26. Probatur quarto. Nam ideo ad validè consecrandum panem sufficiunt hæc verba, *hoc est corpus meum*, quia sufficienter significant id, quod designant, esse corpus Christi; sed etiam hæc verba *hic est sanguis meus*, omiſſis reliquis sufficienter significant id, quod designant, esse sanguinem Christi; ergo &c.

27. Dicendum quarto cum Cardinali de Lugo disp. 11. lect. 4. Patre Esparza quæst. de eucharistia contra Vasquez disp. 198. cap. 4. verba illa *noui, & æterni testamenti*, licet non ita sint de essentia formæ, vt requirantur ad valorem consecrationis, imò cum proferuntur, supponant iam virtute priorum verborum factam fuisse conuersionem vini in sanguinem Christi, tamen spectant ad substantiam formæ, & in hoc sensu explicata verba est sententia S. Thomæ 3. p. quæst. 78. art. 3. centis illa esse de substantia formæ.

28. Probatur. Nam quæ cum partibus essentialibus componunt vnam integram rem magis explicatam, sunt partes non accidentales rei: ex. gr. quia partes, quas homo acquirit per nutritionem, & augmentationem cum partibus essentialibus, & primigenis hominis componunt vnum integrum hominem sunt partes non accidentales, sed substantiales hominis: sed verba illa *noui, & æterni testamenti* cum partibus essentialibus, *hic est calix sanguinis mei*, constituunt vnam integram formam magis explicatam, siquidem spectant ad prædictum, illudque magis explicant, ideoque exprimiuntur literis maiusculis, & proferuntur à sacerdote per modum vnus formæ, & in Concilio Florentino in eius integra editione edita ab Horatio Cardinali Iustiniano ex manuscriptis Bibliothecæ Vaticanæ, proponuntur vt forma; ergo &c.

29. Confirmatur: nam licet in multorum sententia ad absoluendum sufficiant hæc verba *absoluo te*, tamen verba sequentia à prædictis, componunt substantialiter formam absolutionis, quia faciunt vnum cum verbis præcedentibus essentialibus, illaque magis explicant; ergo à pari. Rursus cum dicitur

hoc est corpus meum, & proferimus ultimam syllabam aliquanto explicatius, illa explicatio prolatio est pars substantialis formæ; quia magis explicat formam, eamque facit sensibilior; ergo &c.

30. Dices primo. Verba, quæ non concurrunt ad constituendū sanguinem sub speciebus vini, non sunt de substantia formæ; sed verba illa noui, & æterni testamenti non concurrunt ad constituendum sanguinem sub speciebus vini; ergo &c.

Respondeo, distingo maiorem: verba quæ non concurrunt, sed faciunt vnum cum concurrentibus, illaque magis explicant, non sunt de substantia formæ, nego; si non faciant vnum, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Adde, quod concurrunt ad explicatius significandum sanguinem constitui sub speciebus; hoc autem sufficit, vt sint de substantia formæ. Confirmatur solutio exemplo allato formæ absolutionis.

31. Dices secundo: sequeretur Græcos, qui omittunt aliqua ex illis verbis, vt forma mutila, & proindè peccare.

Respondeo nego consequentiam. Non omnia, quæ sunt de substantia rei, talia sunt, vt sine ijs res sit mutila; ex. gr. in homine obelo, & pingui multæ partes sunt de eius substantia, sine quibus non esset mutilus, ideoque cum macrescit, non euadit mutilus. In casu nostro verba illa sunt de substantia formæ, quia forma magis explicatur, & tamen sine illis forma Græcorum non est mutila. Proportionaliter verba illa, quod pro vobis traditur addita à Græcis in consecratione panis sunt de substantia formæ, quia magis illam explicant, & tamen latini illa omitrentes non vtuntur forma mutila.

32. Ad 1. omiſſis alijs responsionibus minus solidis, quæ videri possunt apud Bellarm. lib. 4. de sacramento eucharistiæ, cap. 14. Suarez. disp. 58. sect. 3. Vasquez. disp. 197. cap. 4. & Card. de Lugo, disp. 11. de eucharistiæ. sect. 1. dicendum cum Bellarmino, & alijs, in citatis liturgijs per illam orationem non peti, vt panis fiat corpus, & vinum fiat sanguis Christi, sed solum peti, vt panis iam consecratus, qui iam reipsa est corpus Christi, fiat corpus Christi etiam nobis, quo ad effectus nutriendi, & pascendi nos, & dandi nobis remissionem peccatorum. Probat hoc ex verbis liturgiarum. In Liturgia Iacobi habetur. *Ipsū spiritum tuum sanctissimum demitte nunc quoque in nos, vt superueniens sanctificet, & efficiat panem corpus sanctum Christi tui, & calicem pretiosum sanguinem Christi tui, vt sit nobis, & his sumentibus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam*; ergo sacerdos petit, non vt panis fiat corpus Christi, neque vt calix fiat sanguis Christi, sed vt panis, qui iam est corpus Christi, qui de se ipso dixit Ioan. 6. *ego sum panis viuus, & vt calix, qui iam est pretiosus sanguis Christi, fiant sumentibus in*

remissionem peccatorum, & in vitam æternam. Idem est sensus orationum, quæ habentur in alijs Liturgijs Basilij, Chrysostomi, Aethiopum, quarum verba videri possunt apud Cardinalem de Lugo loco citato hoc num. 32.

33. Confirmatur primo: nam cum sacerdos panem vocat corpus Christi, populus respondet amen: ergo significat se credere iam esse corpus Christi.

34. Confirmatur secundo, nam sess. vltima Concilij Florentini cum Græci ab Eugenio fuissent interrogati de oratione, qua post verba consecrationis, *hoc est corpus meum*, videtur petere, vt panis mutetur in corpus Christi, responderunt se firmiter credere verbis illis dominicis sacramentum fieri, sed quemadmodum latini confecto sacramento, vtuntur illa oratione, *supplices te rogamus*, in qua petunt, *vt quotquot ex hac altaris participatione sumpserint, omni bene dictionem celesti, & gratia repleantur*, ita Græcos quoque per proportionalem orationem petere, vt sacratissimum Christi corpus, & sanguis, peccatorum nostrorum remissioni, ac nostris animabus saluti fiat.

35. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Patres dum dicunt eucharistiam confici precibus sacerdotum, nomine precum comprehendunt etiam illa verba, *hoc est corpus meum*, cum sint pars precum, & proferantur inter preces canonis, vt patet.

36. Ad 3. Eucharistia etiam post consecrationem, & conuersionem potest vocari figura, & imago corporis, ac sanguinis Christi, vt autoritate præsertim Patrum probat Cardinalis de Lugo disp. 11. sect. 2. Ratio est primò, quia Eucharistia continet species panis, & vini, quæ sunt sacramentum tantum, & sunt signum, & figura, atque imago corporis, & sanguinis Christi, vt existentium sub speciebus. Secunda ratio est, quia corpus & sanguis Christi, prout sunt in eucharistia, sunt figura, & representatio eiusdem corporis, prout fuerunt in cruce, & speciali modo sanguis Christi sub speciebus vini est figura sanguinis Christi prout effusi in cruce.

37. Ad 4. pro sententia Scoti, dictum est in probatione secundæ conclusionis verba *hoc est corpus meum* ex intentione sacerdotis proferentis illa in persona Christi significare id, quod designatur, esse corpus Christi, non autem corpus sacerdotis. Ambrosius, & alij Patres, dum dicunt eucharistiam fieri verbis Christi, & referentes verba Christi afferunt etiam illa accipite, & comedite, afferunt, quia sunt verba Christi, non quia putent etiam illa necessaria ad conficiendam eucharistiam.

38. Ad 5. contra tertiam conclusionem. In missali etiam verba illa noui & æterni testamenti &c. notantur litteris maiusculis, non quia sunt necessaria ad consecrationem, sed quia sunt de substantia formæ, vt explicatum est in quarta conclusione.

39. Ad 6. Pius V. iussit expungi partem illam

illam commentarij Caiet. qua dicebat, verba illa *noui, & aeterni testamenti* non esse essentialia, non quia contineret doctrinam falsam, sed quia Caietanus non explicauerat doctrinam S. Thomæ, sed solum proposuerat suam sententiam, cum debuisset explicare; siquidem gerebat munus Commentatoris.

40. Ad 7. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ex vsu & traditione Ecclesiæ colligitur ad valorem baptismi requiri essentialiter inuocationem Trinitatis: è conuerso ex vsu, & traditione Ecclesiæ colligitur ad valorem consecrationis sufficere verba significantia conuersionem, vt explicatum est. Ratio congruentiæ potest esse, quia in baptismo homo accipit signum Trinitatis; ergo debet exprimi ipsa Trinitas: at per consecrationem solum fit conuersio; ergo sufficit, vt per verba exprimat conuersio.

QVÆSTIO CL.

Vtrum verba consecrationis proferantur recitatiuè, vel enunciatiuè?

1. **V**identur proferri solum recitatiuè, siuè historicè, narrando nimirum, quod dicta fuerunt à Christo, vt docuerunt Innocentius 3. lib. 4. de mysterijs Missæ, cap. 17. Durandus in 4. dist. 8. quæst. 1. Maior eadem dist. quæst. vnica, Catherinus opusculo de verbis, quibus Christus consecrauit, Mirandulanus in sua Apologia, concl. 70. Salmeron tomo 9. in Euang. tract. 13. primo quia si sacerdos enunciatiuè diceret, *hoc est corpus meum*, significaret id, quod designat, esse corpus sacerdotis, non Christi.

2. Secundo in consecratione vini dicitur, *hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur*; sed hæc verba, si proferrentur enunciatiuè, essent falsa, cum falsum sit, quod sanguis Christi, qui est in calice, sit effundendus; ergo &c.

3. Tertio ex alia parte videntur proferri solum enunciatiuè, vt docet Vasquez disp. 200. aliiquæ apud ipsum. Sacerdos enim eatenus consecrat, quatenus nomine Christi enunciat id, quod designat esse corpus Christi; sed hoc est illa verba proferri enunciatiuè; ergo verba profert enunciatiuè: sed eadem propositio non potest proferri simul enunciatiuè, & recitatiuè; ergo proferuntur solum enunciatiuè.

4. Quarto si verba consecrationis proferrentur enunciatiuè simul, & recitatiuè, pronomine demonstratio *hoc*, vt recitatiuè sumpto demonstraretur id, quod gerebat in manibus Christi, eodem vt sumpto enunciatiuè, demonstraretur id, quod sacerdos gerit in manibus: sed hoc repugnat; ergo.

5. Respondeo tres esse opiniones. Prima authorum relatorum in primo argumento docet verba consecrationis proferri solum re-

citatiuè. Secunda authorum relatorum in secundo argumento docet proferri solum enunciatiuè. Tertia Soti in 4. dist. 11. quæst. 1. et 5. Suarij disp. 18. sect. 4. Cardinalis de Lugo disp. 9. sect. 3. & aliorum, docet proferri recitatiuè simul, & enunciatiuè, & hanc sententiam existimo veram.

6. Probatur proferri recitatiuè. Nam tunc verba aliqua proferuntur recitatiuè, & historicè, cum proferuntur, enarrando illa dicta dicta fuisse ab alio: ex. gr. cum in Plauto dicitur, *dixit inspiens in corde suo, non est Deus*, propositio illa non est *Deus*, proferitur recitatiuè: sed verba consecrationis proferuntur à sacerdote narrante illa dicta fuisse à Christo, siquidem sacerdos præmittit, *benedixit, & frigit, deditque discipulis suis, dicens, accipite, & comedite: hoc est corpus meum*: ergo &c.

7. Probatur iam proferri etiam enunciatiuè. Nam tunc verba proferuntur enunciatiuè, cum non solum narratur illa dicta fuisse ab alio, sed etiam enunciatur id, quod per verba verba significatur: sed sacerdos non solum refert Christum dixisse *hoc est corpus meum*, sed etiam in persona Christi enunciat id, quod designat, esse corpus Christi; ergo &c. Confirmatur: vt enim docet Tridentinum sess. 13. cap. 5. Ecclesia ex veritate verborum, quæ sacerdos profert nomine Christi, colligit panem conuerti in corpus, & vinum in sanguinem Christi; sed si sacerdos proferret verba solum recitatiuè, colligeretur solum panem, & vinum, quæ Christus in cæna designauit, conuersa fuisse in corpus Christi: hoc enim iudicaret ad verba verificanda: non autem colligeretur panem, & vinum, quæ sacerdos designat, conuerti in corpus Christi: siquidem hoc non requiritur ad verificanda verba recitatiuè solum prolata; ergo verba proferuntur recitatiuè simul, & enunciatiuè. Confirmatur secundo. Nam ex eo, quod sacerdos designat materiam pronomine demonstratio *hoc*. Scholastici inferunt illam debere esse præsentem sacerdoti: sed si verba proferuntur solum recitatiuè, hoc non inferretur, sed sufficeret, vt materia fuisset præsens Christo; dum consecrauit; ergo &c.

8. Dicendum secundo contra aliquos probabilius est verba non solum de facto proferri recitatiuè simul, & enunciatiuè, sed etiam ad valorem consecrationis requiri, vt proferantur in vtroque sensu, ac non sufficere, vt proferantur solum enunciatiuè.

9. Quod ad valorem consecrationis debeant proferri enunciatiuè, & conceditur ab authoribus citatis, & probatur. Nam ad valorem consecrationis non sufficit, vt narretur Christum dixisse *hoc est corpus meum*, sed requiritur, vt de materia præsentis, & designata nomine Christi enuncietur *hoc est corpus meum*: hoc est verba proferri enunciatiuè; ergo &c. Quod debeant proferri etiam recitatiuè, probatur. Nam verba debent proferri in persona Christi, & ideo non sufficit dicere *hoc est me-*

pus Christi, sed ad validè consecrandum dici debet, hoc est corpus meum; adeoque implicitè narratur Christum dicere hæc verba per sacerdotem; ergo &c. Fateor non esse necessarium, ut narretur Christum in vltima cæna dixisse hæc verba, sed solum assero requiri, ut implicitè narretur Christum de facto dicere hæc verba per sacerdotem.

10. Ad 1. distinguo sequelam: si sacerdos enunciatiuè diceret nomine proprio, hoc est corpus meum, significaret id, quod designat, esse corpus sacerdotis, concedo; si diceret enunciatiuè nomine Christi, nego. Sacerdos loquitur in persona Christi, ideoque significat id, quod designat, esse corpus Christi, non autem sacerdotis.

11. Ad 2. respondent aliqui sola verba essentialia proferri enunciatiuè simul, & recitatiuè, verba illa, qui pro vobis effundetur &c. proferri solum recitatiuè, neque hoc esse inconueniens. Addi potest *effundetur* significare idem, ac sacrificabitur, & libabitur: verum autem est sanguinem Christi utque ad finem mundi in Eucharistia sacrificandum esse pro multis in remissionem peccatorum.

12. Ad 3. nego eandem propositionem non posse proferri recitatiuè simul, & enunciatiuè. Cum enim aliquis dicit, ut Aristoteles verè dicit, nullum violentum est durabile, propositionem hanc, nullum violentum est durabile, proferret recitatiuè simul, & enunciatiuè.

13. Ad 4. negatur esse absurdum, ut sacerdos pronomine demonstratiuo hoc, designet simul id, quod Christus gerebat in manibus, & id, quod in manibus gerit ipse sacerdos. Si enim sacerdos dicat, ego nomine Christi enuncio de hoc, quod gero in manibus, id, quod Christus enunciauit de eo, quod manibus gerebat, nimirum, hoc est corpus meum, pronomine hoc recitatiuè sumpto designat id, quod Christus gerebat in manibus, eodem pronomine enunciatiuè sumpto designat id, quod manibus gerit sacerdos. Porro quod verba sumantur recitatiuè, patet ex verbis antecedentibus, quibus sacerdos dixit, benedixit, & fregit, deditque discipulis suis dicens, accipite, & comedite, hoc est enim corpus meum. Quod samantur etiam enunciatiuè, sensibiliber patet ex eo, quod proferantur super materiam præsentem, nimirum panem, & vinum, designando illa pronomine demonstratiuo hoc.

QVÆSTIO CLI.

Virum verba consecrationis sint vera, antequam intelligatur positus effectus verborum.

1. Videntur esse vera, antequam intelligatur positus effectus verborum, qui effectus est, ut Christus sit sub speciebus. Verba enim faciunt suum effectum positionis Christi sub speciebus, quia cum proferantur nomine Christi, sunt essentialiter vera; ergo

Tom. III.

intelligantur vera, antequam sit positus effectus verborum.

2. Respondeo Catharinum opere citato existimasse ad veritatem verborum consecrationis requiri, ut cum proferuntur, intelligatur iam positum obiectum, quod per ipsa enunciatur. Hinc infert primo, quod quia Christus de eo, quod manibus gerebat, verè dixit, hoc est corpus meum, illud, antequam hoc diceret, iam erat corpus Christi, ac proinde panis conuersus fuerat in corpus Christi benedictione, qua prius panem benedixit, deinde dixit, hoc est corpus meum. Infert secundo verba consecrationis à sacerdote proferri solum in sensu recitatiuo, ac proinde supponere obiectum affirmatum, quod obiectum est Christum dixisse, hoc est corpus meum, ac non posse verè proferri in sensu enunciatiuo, affirmando id, quod demonstrat sacerdos, esse corpus Christi, siquidem hoc obiectum non supponitur antecedenter positum. Videri potest Vasquez disp. 200.

3. Contra hanc opinionem dicendum, ad veritatem verborum consecrationis non requiri, ut cum proferuntur, intelligatur positum obiectum, quod per illa enunciatur, & affirmatur, sed sufficere, ut tale obiectum ponatur in posteriori, dependenter à prolotione verborum.

4. Probatur. Nam ut Rex verè dicat alicui, ego te facio ducem exercitus, non requiritur, ut ille intelligatur factus dux exercitus antecedenter ad verba Regis, sed sufficit, ut fiat dux exercitus dependenter à verbis regis, & in posteriori natura; ergo ut verba, quibus Christus, vel sacerdos nomine Christi dicit, hoc est corpus meum, sint vera, non requiritur, ut id, quod demonstratur pronomine hoc, sit corpus Christi antè prolotionem verborum, sed sufficit, ut sit corpus Christi dependenter à prolotione verborum, & in posteriori natura. Ratio à priori est, quia verba, hoc est corpus meum, significant solum id, quod demonstrant, esse corpus Christi, abstrahendo ab hoc, quod sit corpus Christi dependenter, vel independenter à prolotione verborum.

5. Infertur verba consecrationis esse radicaliter vera, antequam producant suum effectum, formaliter autem esse vera, dependenter à sua operatione, & per ipsum suum effectum, & in posteriori natura. Probatur. Nam ex Arist. 1. Perihermenas cap. 9. ex eo, quod res sit, vel non sit, propositio est vera, vel falsa: ergo veritas formalis propositionis consistit in hoc, ut obiectum ita se habeat, sicut enunciatur, vel saltem hoc supponit: sed per hanc propositionem, hoc est corpus meum, enunciatur id, quod demonstrat, esse corpus Christi; ergo veritas formalis illorum verborum consistit in hoc, ut id, quod demonstratur, sit corpus Christi; sed quod id, quod demonstratur, sit corpus Christi, est effectus verborum, siquidem Christus ponitur sub speciebus dependenter à verbis; ergo verba formali-

O o

maliter sunt vera per suum effectum, hoc est per presentiam realem corporis Christi sub speciebus, quæ presentia est effectus verborum. Veritas radicalis est determinatio propositionis ad hoc, ut sit vera, & conformis obiecto; sed verba consecrationis, antequam producant suum effectum, ex institutione Christi sunt determinata ad hoc, ut sint vera, & conformia obiecto, quod enunciant; ergo antequam producant suum effectum, sunt radicaliter vera. Verba igitur producant suum effectum, quia sunt radicaliter vera, & ut per suum effectum sint formaliter vera, non autem producant suum effectum, quia sunt formaliter vera. Rursus verba in priori, antequam producant suum effectum, sunt vera solum radicaliter, & non sunt formaliter vera, sed præscindunt à veritate formali. Ideo Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. num. 23. dicit, verba pro eo priori esse neutra, hoc est nec vera, nec falsa formaliter, sed præscindere à falsitate, & veritate.

6. Quæres primo pro maiori explicatione verborum consecrationis, quid demonstrat pronomine *hoc*? Ratio dubitandi est, quia vel demonstratur substantia panis, vel accidentia panis, vel corpus Christi: si substantia, vel accidentia panis, forma consecrationis est falsa, siquidem falsum est substantiam, vel accidentia panis esse corpus Christi. Si demonstratur corpus Christi, propositio est identica, & non est contingens, sed æternæ, & necessariæ veritatis. Significatur enim *corpus Christi est corpus Christi*, quæ propositio est æternæ veritatis, & identica. Ad soluendam hanc difficultatem plures sunt opiniones, quas refert Vasquez disp. 201.

7. Respondeo pronomine demonstratio *hoc* non demonstrari formaliter panem, nec demonstrari in recto accidentia panis, sed in recto, & ad intellectum demonstrari id, quod subsistat accidentibus panis, in obliquo, & ad sensum demonstrari accidentia panis. Probatur prima, & secunda pars. Nam si formaliter, & in recto demonstraretur substantia, vel accidentia panis, sensus formæ esset, *panis est corpus Christi*, vel *accidentia panis sunt corpus Christi*: sed hæc sunt falsa; ergo forma esset falsa. Probatur tertia pars. Nam sicut cum dicitur, *hic est Petrus*, ad sensum, & in obliquo demonstrantur accidentia sensibilia Petri, ad intellectum, & in recto demonstratur id, quod subsistat accidentibus, ac sensus propositionis est, *id, quod subsistat istis accidentibus sensibilibus, est Petrus*, sic cum dicitur, *hoc est corpus meum*, per *hoc* ad sensum, & in obliquo demonstrantur accidentia sensibilia panis, ad intellectum, & in recto demonstratur id, quod subsistat accidentibus panis, & sensus propositionis est, *id, quod subsistat istis accidentibus panis, est corpus Christi*.

8. Inferitur primo, quod sicut propositio, qua dicitur, *hic est Petrus* non est identica, sic propositio, qua dicitur, *hoc est corpus meum*

est identica. Ratio est, quia ad propositionem identicam requiritur, ut idem affirmetur de se ipso sub eodem conceptu; cum autem affirmatur de se ipso sub diverso conceptu, propositio non est identica; sed cum dicitur *hoc est corpus meum*, affirmatur corpus Christi de se ipso sub conceptu substantiæ accidentibus panis, qui conceptus est diversus à conceptu corporis Christi: ergo &c.

9. Inferitur secundo eandem propositionem non esse æternæ veritatis, sed contingentem. Ratio est, quia propositio, qua affirmatur aliqua veritas contingens, est contingens, & non est æternæ veritatis: sed propositio, qua dicitur, *hoc est corpus meum*, affirmatur corpus Christi esse sub accidentibus panis, quæ veritas est contingens; siquidem corpus Christi posset non esse sub accidentibus panis: ergo &c. Propositio igitur illa, *hoc est corpus meum*, quæ valet huic, *corpus meum est sub his accidentibus panis*, quæ propositio manifestè est in materia contingenti.

10. Quæres secundo, quodnam tempus significetur per copulam *est* in consecratione.

11. Respondeo, quod copula *est* non significat corpus Christi esse sub accidentibus toto tempore, quo dicitur, *hoc est corpus meum*, neque significat corpus Christi esse sub accidentibus panis pro tempore, quo profertur copula *est*, alioquin propositio esset falsa. Non corpus Christi neque esse sub accidentibus panis toto tempore, quo profertur propositio, neque tempore, quo profertur copula. Significatur igitur per hanc, & alias similes propositiones, prædicatum convenire subiecto pro aliquo tempore, vel instanti, quo durat, vel terminatur propositio: & quia corpus Christi ponitur sub speciebus panis pro instanti, pro quo est sufficienter prolata tota forma, ideo forma est vera. Sicut igitur cum aliquis dicit, *ego dono tibi hanc rem*, propositio est vera, licet donatio non sit, nisi cum primo est prolata propositio, sic in casu nostro. Eadem enim est ratio.

12. Ad argumentum in contrarium obtinguo autecedens: verba faciunt sensum effectum, quia sunt vera radicaliter, conceditur, quia sunt vera formaliter, nego: & nego consequentiam.

TRACTATUS XXI.

De effectibus eucharistiæ.



GLIMVS cum S. Thoma quæst. 79. de forma eucharistiæ. Sequitur, cum eodem quæst. 79. disputetur de eiusdem eucharistiæ effectibus.

QVÆSTIO CLII.

Virum eucharistia conferat augmentum gratiæ, & iustificationis?

S. Thom. quæst. 79. art. 1.

1. **E**ucharistia conferat gratiam. Conclusio illa certa est ex fide, & à nullo hæretico negata.